



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

[III]. De Solutione Debitorum ex mutuo, à Prælatiſ & c. nomine Eccleſiæ
vel Monasterij acceptô, contractorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

laudatus Molina n. 25.

Secunda; quia in proposita materia plus potest renuntiatio tacita, quam expressa; quia tacita vim habet ex dispositione Juris potius, quam ex voluntate clerici, qui dolose contrahendo, bona dissipando &c. privilegium competentiae etiam invitus amittit: sicut clericus minor non habens beneficium &c. deponendo habitum & tonsuram privilegio Fori priyatur ex dispositione Tridentini cap. 6. cit. cui tamen expresse renuntiare, etiam cum iuramento non potest, e. Si diligenti cit.

Tertia partim; quia iuramentum hoc reverentiae & honori status Clericalis praedicare, patet ex dictis: partim vero; quia iuramentum sequitur naturam & conditiones actus; ac proinde simplicis renuntiationis, cui est adiectum: qua proinde corrueat etiam ipsum vim non habet.

Postrema; quia alia proposita renuntiationis ratio est, quam iuratae promissionis Usurarum; cum ista iniquitatem non contineat ex parte iurantis, sicut iuramentum ex parte clerici Competentiae privilegio renuntiantis: contra vero iurata renuntiatio ferè nullam turpitudinem continet ex parte creditoris, propter quam potissimum relaxari solet iurata promissio Usurarum, Gloss. in s. 1. V. Jurata, de Iurejurando.

ARTICULUS III.

De Solutione debitorum ex Mutuo à Praelatis &c. nomine Ecclesiae vel Monasterii contractorum.

SUMMARIUM.

30. *Praeterea de Ecclesia sua rebus mutuum dat,*

31. *Eoque accepto nomine Ecclesia non obligat:*
32. *Si id in huius Utilitatem non probet creditor:*
33. *Qui tamen id probare non valet, si debitum, cum Capituli consensu,*
34. *Vel etiam sine isto à Praelato,*
35. *Vel de istius licentia à Religiosis contractum, de mobilibus non pretiosis solvi queat:*
36. *Sed, si ista ad solutionem non sufficiant.*
37. *Ea tamen probatio non exigit, si Ecclesia ex contractu alio,*
38. *Vel ex Mutuo creditor sit Constitutus.*
39. *Imò etiam Ecclesia, quando contractibus tempore motibus non pretiosis ad solutionem sustinuitur:*
40. *Nisi Mutuum acceptum fuisse in ulla iusta causa.*
41. *Quando pecunia in Utilitatem causa esse intelligatur,*
42. *In dubio iudicii arbitrio respiciatur.*
43. *Ad solutionem debiti ex mutuo praestorem generaliter non obligantium,*
44. *Et obligantium Opiniones.*
45. *Quae conciliantur,*
46. *Eaque conciliatio exemplis illustratur.*
47. *Differentia inter Successorem in Praelatura & Heredem.*

Quantumvis Praelati Ecclesiarum & Monasteriorum suorum rebus ad cultum Divinum debent peragendum, in ministris alimentis & salariis &c. impendere: aliter autem non necessarios in illorum Utilitatem convertere, ex iisque, cum bonis conditionibus possunt, praedia, fundos, census compere, aut pro futuris necessitatibus alio-

vare teneantur; quia id recta administratio requirit, arg. l. Tutor 7. §. 2. ff. & l. Tutores 24. C. de Administr. Tut. ex his tamen indigentium necessitates sublevare & mutuum dare non prohibentur; cum id, tanquam Pietatis & Misericordiae opus, Ecclesiam vel maximè deceat: & si pecunie creditæ summa moderata & cum debita assecuratione detur, Ecclesiam gravare non videatur, Panorm. in c. Si quorundam 2. n. 9. & ibi Joan. Andr. n. 2.

31. Mutuum autem Ecclesiarum & Monasteriorum suorum nomine accipere, licet Prælati aliquando permillum sit, ut tamen illa aut ista ex mutuo creditoribus obligentur, communis DD. sententia apud Covarruviam Lib. 2. Var. cap. 17. n. 3. istis generaliter imponit onus probandi id, quod dederunt, in Eccle-

32. siarum &c. Utilitatem fuisse conversum, Novell. 120. cap. 6. §. 3. & Aurb. Hoc jus porrectum C. de SS. Eccles. cuius pr. Imperator pro Ecclesia creditore eum duntaxat habet, Qui, quod credidit, probat in Utilitatem Religiose domus processit. Quam Aurb. cit. dispositionem à Gratiano can. Hoc jus porrectum 10. q. 2. Canonizatam, cum Panormit. in c. 1. de Deposito n. 9. asserit Redoanus de Reb. Eccl. non alien. q. 4. pr. n. 1. Sed, salva tantorum DD. autoritate, eius Canonizatio rectius in Ecclesie usum & summorum istius Antifistum approbationem saltem tacitam refunderetur; cum Gratianus, tanquam privatus, Constitutiones quidem Imperiales transferibendi, non Canonizandi sive Ecclesiastici Juris vim eis tribuendi habuerit potestatem, iuxta tradita in Proæmio n. 90.

Undecunque autem Aurb. & can. cit. textus eam, quæ apud Interpp. & DD. cæteros in Scholis & utroque foro pollent, Ecclesiastici Juris vim obtinere

dicatur, hodie, si quod dedit, in Ecclesie Utilitatem processisse, probare creditor non possit, non ipsam Ecclesiam, sed Prælatum aut alium, qui istius nomine Mutuum accepit, eiusve hæredes poterit convenire, Covarr. cit. cap. 17. n. 2. Molina Tract. 2. de l. & l. disp. 300. n. 2. & Steph. Gratianus Discept. Forens. cap. 196. n. 6. ubi contractum Mutui Ecclesie nomine, etiam debitâ formâ observatâ, celebratum quoad contrahentes quidem, sive ut Prælatus istiusque hæredes conveniri valeant, tenere; in Ecclesie autem præiudicium non subsistere docet, nisi pecuniam Mutuò datam in ipsius Utilitatem versam esse, doceatur.

Sed communis eius sententiæ generalitas restringenda & ad Veritatis terminos reducenda est auxiliò distinctionis non solum inter ipsum Mutuum, sive pecunia creditæ quantitatem: sed inter personas etiam, Ecclesie nomine Mutuum accipientes.

Et primò quidem, si Mutuum Ecclesie nomine accipiat Prælatus simul & Capitulum, vel ille cum istius consensu, & in ea quantitate, ut ad debiti eius acceptione contracti solutionem sufficiant reditus seu mobilia non pretiosa, & quæ servandò servari nequeunt, Ecclesia obligatur: quantumvis creditor, quod dedit, in ipsius Ecclesie Utilitatem versum esse, non probet, ut cum Innocentio in c. Quod quibusdam 4. de Fidejuss. n. 4. & Panormit. ibid. n. 5. docent Redoanus cit. q. 4. §. Sed Abbas n. 6. & Molina cit. disp. 300. n. 5. argumentò à contrario ductò ex c. 1. de Deposito, ubi ad restitutionem pecunie; quòd ea à particulari persona, non à Prælato & Capitulo sive cum istius consensu ab illo accepta sit, Ecclesia non obligatur ex ratione; quòd in ejus Utilitatem non sit conversa. Ratio est; quia Prælatus &

B b b

Capi.

Capitulum ejusmodi reddituum & mobilium bonorum liberam habent administrationem: ideoque hujusmodi redditus & bona ab ipsis, sicut alienari argumentò à contrario desumptò ex *Extravag. Ambrosio de Rebus Eccles. alien.* verbis, *Immobilia & mobilia pretiosa Deo dicata*: sic etiam creditoribus obligari possunt: etiam si isti, quod dederunt, in Ecclesiæ Utilitatem processisse, non doceant.

34. Secundò, eòdem modò ex Mutuo, quod solus Prælatus in quantitate sibi permissa, & ex qua contracti debiti solutio de ejusmodi rebus mobilibus fieri potest, accepit, Ecclesia obligatur: dummodo, id pro Ecclesia sive istius necessitate vel utilitate acceptum, constet: etiam si, quàm dedit, pecuniam in Ecclesiæ Utilitatem versam esse, creditor non probet, ut non obscurè desumitur ex *c. 1.* quò relatò Concilii Cantuariensis decretò Prælatus à suo in Prælatura antecessore pro Ecclesiæ necessitate contracta debita solvere tenetur, sine ulla mentione versionis in Utilitatem. Ratio est; quia rerum Ecclesiæ administrationem Prælatus etiam solus habet, exceptà immobilium & pretiosorum alienatione, *c. Cum nobis 19. in fine, de Electione & c. Is cui 42. eadè Rubr. in 6. cit.* Panormit. *n. 6.* Molina *n. 6.* & Pirrhing *ad banc Rubr. n. 12.*

35. Tertio, casu etiam, quò de Prælato & Capituli simul, vel illius solius mandatò vel licentià particularis clericus aut Religiosus, v.g. dum in Studiis versatur, Ecclesiæ vel Monasterii sui nomine Mutuum accipit in summa seu quantitate sibi taxata, Ecclesia vel Monasterium ad debiti eò contracti solutionem, si ad hanc mobilia non pretiosa sufficiant, obligatur: licet mutuum in ipsius utilitatem versum esse, non probetur, ut colligi-

tur ex *c. Quod quibusdam cit.* & tradunt Panormit. *in c. cit. n. 3. cit.* Redona *n. 12.* & Molina *n. 9.*

Neque aliud evincit *Aub. & can. Hoc ju. cit.* generalitas vel, quam alii qui hac in re faciunt, paritas cum administrator Civitatis, à quo solo ipsius nomine acceptò mutuo civitas non tenetur: nisi, quas dedit, pecunias in ipsius utilitatem conversas esse, creditor hinc mutuator probet, *l. Civitas 27. ff. de Reb. credit. & l. 1. C. de Solut. debiti. Civit. quia imprimis Aub. & can. Hoc ju. cit.* probatio versionis in utilitatem est solum casu à creditore exigitur, quò ad solutionem debiti redditus non sufficiunt; ac proinde necesse est perveniri ad immobilium vel pretiosorum distractionem. Deinde; quia administrator Civitatis minus generalem libertatemque, & à populo vel Senatu magis dependentem reddituum aliorumque mobilium negotiosorum administrationem habet, quàm Prælatus, *cit.* Panormit. *n. 4. & 7.* & Molina *n. 7. & 8.*

Esti verò ex hujusmodi mutuo, sub nomine accepto, Ecclesia creditor, versionem in ipsius utilitatem non docentis, merò Jure obligetur, in integrum canonice restitutionem impetrare potest, id in suam utilitatem non impensum, indeque se læsam prætendendò, *arg. c. 1. & c. Auditis 3. de In integr. restit. Redonus cit. q. 4. §. Et deveniendò. n. 10. Covarruvias cit. cap. 17. n. 3. & Palao Tract. 32. disp. 4. p. 5. n. 7.*

Quartò, ex Mutuo à Prælato solo, vel ab ipso simul & Capitulo Ecclesiæ nomine in tanta quantitate accepto, ut ad debiti eò contracti solutionem mobilia aut mobilia pretiosa in solvendum dari vel alienari sit necesse, Ecclesia vel Monasterium non obligatur: nisi Mutuum ob Ecclesiæ Utilitatem acceptum &

& in eam cōverſum ſeu impenſum eſſe conſtet, vel oſtendatur à creditore, *Aurb. & can. Hoc juſ cit.* quod ex iſtius textu cum *citt. Panormit. n. 4. & Molina n. 3.* deſumunt, & caſu illò, quò ſolutio- nem non niſi diſtractis vel in ſolutum datis immobilibus aut pretioſis mobilibus fieri poſſe, Mutui accepti tempore jam apparuit, omnino indubitatum cenſent *Laiman Tract. de Alienat. Canonica n. 105. & Pirthing ad hanc Rubr. n. 14.* cum enim hujusmodi bona non niſi ex cauſa evidentis utilitatis vel neceſſitatis Eccleſiæ alienari valeant, juxta dicta *Tit. 13. à n. 49.* ne id occasione Mutui indire- ctè fieret, meritò fuit cautum, *arg. Reg. Cùm quid unà 84. in 6.*

37. Neque huic Reſolutioni obſtat pri- mò; quòd in aliis Contractibus, vg. Emptione Venditione Eccleſiæ nomine celebratà cum Præſato, contrahenti non incumbat probatio, de re aut pretiò in ejuſ Utilitatem verſò; quia imprimis, ſicut creditor in Mutuo, ſic etiam in Venditione rerum Eccleſiæ immobilium, ſervatà quidem debità formà, ſed æris tantum alieni ſive debiti diſſolvendi cau- ſà factà verſionem in Utilitatem empto- ri probandam, variis Interpp. relatis vult *Covarruv. cit. cap. 17. n. 3.* Deinde; quia de Mutuo Eccleſiæ dato id ſpe- cialiter conſtitutum & conſtituendi ratio ſatis urgens fuit; ut obviaretur periculis leſionum, faciliùs & frequentius ex eo, quam cæteris contractibus timendarum; quòd Præſatos pecuniæ, uſibus ſuis oportune faciliùs parandæ, & foenerato- res majoris lucri ſpe ſæpius ad Mutui, quam ad alios contractus pervenire, uſu comperum ſit, *citt. Panormit. in c. 1. de Depoſito n. 9. Redoanus cit. q. 4. pr. n. 10. Molina n. 1. & Palao cit. p. 5. n. 13. in fine.*

38. Neque eiſdem obſtat ſecundò; quòd

ex Mutuo, ab adminiſtratore Civitatis i- ſtius mandatò vel conſenſu acceptò, illa creditori obligetur: quin iſti incumbat onus probandi verſionem in Utilitatem ipſius Civitatis. Non, inquam, etiam hoc obſtat; quia, licet hujusmodi ad- miniſtratoris ſolius non ita generalis & libera adminiſtratio ſit, ut Prælati: maior tamen illius ſimul & Civitatis ſive tribu- norum plebis eam repræſentantium pote- ſtas eſt, quàm Prælati cum Capitulo; cum iſte & Capitulum ſimul immobilia alienare ſine neceſſitatis aut evidentis U- tilitatis cauſa & ſuperioris conſenſu va- lidè non poſſint, *can. Sine exceptione 12. q. 2. ut dictum Tit. 13. à n. 49.* Id autem ſine ejuſmodi cauſa & ullà ſolemnitate va- leat adminiſtrator Civitatis cum Civium aut iſtos repræſentantium tribunorum plebis vel Senatùs, in quem Cives omnem poteſtatè tranſtulerunt, conſenſu, per tra- dita à *citt. Bartolo in l. Civitas cit. n. 2. Pa- normit. in c. Quòd quibudam cit. n. 5. & Bruneman in l. cit. n. 6.* Unde mirum non eſt, quòd ex Mutuo, à Præſato ſimul & Capitulo acceptò, ſi eò immobilia a- lienationis periculo exponi tempore con- tractùs apparuit, Eccleſia vel Monaste- rium non obligetur, niſi pecuniam in i- pſius Utilitatem verſam eſſe, creditor oſtendat: eſt ab iſto id non exigatur, cum Civitatis nomine Mutuum accipit ipſius adminiſtrator cum Civium aut eo- rum, qui hos repræſentant, conſenſu, *citt. Molina n. 4. Laiman n. 105. & Pir- thing n. 11. §. Aliud.*

Aliud eſſet, ſi tempore contractùs debiti ex Mutuo orti ſolutio ſine immo- bilium & pretioſorum alienatione fieri potuiſſet; ex eo enim, à Præſato ſimul & Capitulo vel illo ſolo acceptò Eccleſia obligatur: licet poſtea debitum diſſolvi ſine ejuſmodi bonorum diſtractione non poſſit & Mutuum in Eccleſiæ Utilitatem

B b b a

verium

versum à creditore non ostendatur: dummodo ex Prælato & Capitulo vel illius solius confessione, instrumentò contractus, aut aliunde constet vel probetur, Mutuum pro Ecclesiæ necessitate vel Utilitate esse acceptum, Laiman & Pirrhing *l. cit.* cum, si ex contractu legitime inuito orta Ecclesiæ obligatio & jus creditoris ita facile mutaretur, nemo esset, qui Ecclesiæ etiam maximè indigenti Mutuum dare vellet.

40. Quintò, ex Mutuo à Prælato sine justa, hoc est, Necessitatis aut Utilitatis causa & irrationabiliter v.g. pro pompa, picturis & similibus rebus superfluis accepto Ecclesia non tenetur: nisi quatenus inde locupletioem factam, aut aliquid in ipsius Utilitatem versum probatur, *cit.* Panormit. *n. 9.* & Molina *n. 10.*

41. Porro in Ecclesiæ Utilitatem Mutuum versum censetur, quando impensum fuit in causam, v.g. reparationem fabricæ, vini, frumenti aliarumque rerum ad sustentationem necessariarum coemptionem aut aliam, in quam Ecclesia tantundem intumpra fuisset, *arg. l. In pupillo 47. §. 1. ff. de Solut.* cum eò ipsò; quòd Ecclesia tantundem impensura de aliis bonis fuisset, in tota quantitate locupletior sit, *cit.* Molina *n. 10.* & Pirrhing *n. 10.* Quod procedit, licet ob circumstantiam aliquam vel eventum, qui rationabiliter prævideri non potuit, utilitas & commodum, quod prudenter intentum est, non fuerit subsecutum; quia nihilominus Ecclesia ex Mutuo, hòc ipsò, quod in eum finem tantundem ex propriis bonis, licet per accidens inutiliter insumpserit, in quantitate illa locupletior facta est, *arg. §. 1. l. In pupillo cit.* Panormit. *in c. Quod quibusdam cit. n. 8.* Menoch. *de Arbitr. casu 432. n. 41.* & Molina *n. 10. cit.*

In dubio, an in eam, quæ præstitur, aut aliam Ecclesiæ Utilitatem Mutuum versum sit, relinqui solet prudentiæ & arbitrio iudicis: qui, rei circumstantiis bene ponderatis, id factum esse pronuntiabit, si tempore Mutui contracti Ecclesia pecuniis valde indigebat, *Glossa in can. Hoc jus cit. V. Prælat.* & Prælatus vir probus, providus & Ecclesiæ commodis atque Utilitatibus promovendis seridè semper intentus fuit, Archidiaconus *in can. cit.* si pecunie acceptæ quantitas præsentis Utilitatis aut necessitatis causæ proportionata; & omnium, si satisfactum sit causæ, ob quam Mutuum dicitur acceptum, v.g. fabricæ reparata, comparata necessaria alimenta, prædium vel fundus emptus fuit, Aliatus *in l. Civitas cit. n. 8. cit.* Menoch. *à n. 33.* & Palao *cit. n. 13.* Ex habetibus dictis

Dubium & controversia nascitur, an à Prælato vel alio Rectore Ecclesiæ et Mutuo contracta debita solvere teneantur successores. Si creditor, quod obdit, in Ecclesiæ Utilitatem versum esse non probet, hos ad solutionem tenentur cum Ant. de Butrio *in c. Quod quibusdam cit. n. 9.* generaliter negant Facchinus *Controvers. Lib. 2. cap. 77. §. Ego verò* & Palao *c. 1. cit. p. 5. n. 10.* cum propter textum *c. cit.* quòd ad Ecclesiæ creditoribus obligandam Mutui in eius Utilitatem versio disertè exigatur; cum verò; quòd Prælatus Ecclesiam ultra vitæ suæ tempus obligare non possit, nisi pro eius Utilitate vel Necessitate, *c. n.* Contrà successoribus generaliter quæritur, quæ & ex quacunque causa debita, ab antecessore contracta, sine ulla prohibitione ejusmodi versionis dissolvendi obligatio imposita videri, potest *c. 1. cit.* ubi Prælatus disertè æquiparatur filio, qui, si defuncti patris hæres existeret, et

ejus debita omnia, saltem secundum hæreditatis vires, si inventarium confectum sit, solvenda obligatur, textus & Glossa *l. fin. C. de Jure delib.* cum hæres in Universum jus defuncti, sicut quo ad jura & commoda, sic etiam quoad onera & obligationes succedat, *l. Hæres in omne 37. ff. de Acquir. hæred. § 1. Hæreditas 62. ff. de R. J.*

45. Mihi media via tenenda; & quoties Prælatus antecessor, qui Mutuum Ecclesie nomine & pro istius necessitate vel utilitate accepit, ad debiti eò contracti solutionem obligari, toties etiam successor videtur, quin à creditore ejus, quod dedit in Ecclesie utilitatem versio exigatur, ut cum Panormit. *in c. Quod quibusdam cit. n. 7. Anchorano ibid. n. 9. defendunt Redoanus cit. q. 4. §. Sed Abbas n. 11. cit. Molina n. 8. Pirrhing n. 13. Moveor eodem c. 1. §. c. Quod quibusdam cit.* quorum textuum priori successor obligatur ad solvenda debita, quæ pro Ecclesie necessitate antecessor contraxit, sine ulla mentione versionis in Ecclesie utilitatem: posteriori; ut monasterium obligetur, hujusmodi Versionis probatio exigitur casu, quò religiosus sine Prælato & Capituli consensu Mutuum accepit ultra summam, communi providentiâ constitutam. Unde à contrario infertur casu, quò mutuum ab isto cum ejusmodi licentia; ac proinde multò magis à Prælato & Capitulo vel ab illo solo in quantitate sibi permissa acceptum est, ejusmodi probationem non requiri. Id ipsum suadet ratio; quia, si hujusmodi probatio à creditore exigeretur, quoties ex Mutuo pro Ecclesie necessitate vel utilitate in quacunque, etiam alienationis immobilium periculum non afferente quantitate, ab antecessore accepto successorem conveniret, id Ecclesie & Monasteriis damnosum foret; cum nemo facile reperiretur, qui

ipsis inopiâ laborantibus mutuò datò vellet subvenire. Unde planè corruunt, quæ allata sunt pro ejusmodi probationis necessitate, præsertim; cum aliud sit Mutuum pro Ecclesie necessitate accipi, & aliud, quod acceptum est, in ejus necessitatem vel utilitatem impendi.

46. Quare successor tenetur debitis, quæ ab antecessore non tantùm pro reparanda fabrica Ecclesiastici aedificii, ruinam minuantis, pro emptione agri, vineæ, fundi, vel eorum cultura, pro litis ab Ecclesia vel ipsi ab alio motæ prosecutione &c. contracta creditor probat: etsi pecuniam, ex qua Mutuò data debita orta sunt, in ejusmodi causam impensam esse, non doceat; cum talia pro Ecclesie necessitate vel utilitate contracta esse, liquidum sit: sed etiam ad ea, quæ ab eo contracta sunt pro personæ suæ sustentatione, pro valetudinis recuperatione, imò etiam pro ejus defuncti sepultura; quia etiam hujusmodi debita contracta videantur pro necessitate Ecclesie, quæ statui Ecclesiastico congrua vitæ subsidia ipsi subministrare tenetur, Panormit. *in c. 1. cit. n. 2. & Barbosa n. 3. § 4.* Alia ratio est eorum, quæ antecessor ex mutuo pro splendore aliisque non necessariis, & multò magis pro inutilibus rebus & usibus contraxit; super his enim, cum quoad quantitatem, congruam sustentationem excedentem, pro Ecclesie necessitate aut utilitate contracta non sint, successor conveniri de Jure non potest, Gonzalez *in c. 1. cit. n. 5. § 6.*

47. Neque hac in re generaliter ea, quæ hæredis, ratio est successoris in Prælatu-
ra; quia iste antecessoris sui hæres propriè non est; cum neque ex ipsius voluntate, sed Ecclesiastici superioris institutione in eadem dignitate succedat: neque ejus personam, ut hæres, repræsentet: neque Prælatu-
ræ acceptione ad debita antecesso-

antecefforis personalia se obstringat: sed improprie duntaxat & quasi haeres; quod ipsi in eadem sede & Ecclesia, & in eodem officio subrogetur: cujusmodi successor antecefforis sui personalibus obligationibus non afficitur; ne alieno facto praegravetur, praesertim si nihil accipiat à defuncto, Gonzalez in c. 1. cit. n. 5.

ARTICULUS IV.

De Indebitè soluti Re-
petitione.

SUMMARIUM.

48. *Errore indebitè solutum repetitur.*
 49. *Indebitum quid esse potest Naturaliter & Civiliter simul,*
 50. *Vel Naturaliter tantum, aut Civiliter tantum.*
 51. *Repetitur indebitum utroque modo vel Naturaliter tantum:*
 52. *Licet solutio facta sit per errorem juris.*
 53. *Civiliter indebitum repeti nequit.*
 54. *Indebitum probare tenetur, qui solvit:*
 55. *Nisi accipiens negarit solutionem,*
 56. *Vel indebitè solverit pupillus, minor, miles &c.*
48. **E**orum, qui pecunià numeratà aliave re exhibità solutionem fecerunt, solennis querela aliquando est, eam factam errore, & indebitum fuisse, quod exhibuerunt; atque idcirco id Actione Personali quam Indebiti Conditionem appellant, meritò repetunt; quod sibi omnino indebitum recipiens tacite ad restitutionem se obligasse videatur, l. Is cui 13. §. fin. ff. de Conditt. indeb. cum, ratione naturali dictante, ini-

quissimum sit, cum alterius damno restitui, quod per errorem & sine ulla causa est acceptum, l. Hac conditio 66. ff. de Rebus. Errore, inquam; quia indebitum licet exhibens repetere nequit; quod, si ex circumstantiis aliud non appareat, demonstrasse videatur, l. 1. ff. ibid. & l. Cuius per errorem 52. ff. de R. J.

Errore etiam, sive ab ignorante solutum indebitè, Conditioni repetitionis non semper obnoxium est: & propterea, ut, quando repeti valeat, planum reddatur, inter indebitum opus est alicuius distinctione; cum id, quod solutum est, sicut debitum, sic indebitum esse poterit variis & tribus praecipue modis. Naturaliter & Civiliter simul: quò modo indebitum est, quod praestandi obligatio neque ex Naturali neque ex Civili iure orta est; ut, v.g. quod promissum fuit sub conditione proprie dicta, sive ejus eventus futurus est incertus; ideoque illa pendente, sive ante ejus eventum repeti potest, l. Sub conditione 16. pr. ff. de Conditt. indeb. Naturaliter, tantum, quò modo indebitum & Civiliter debitum dicitur, quod solvendi ex Jure solum Civili obligatio datur: sicut, qui futura numerationis spe chirographò suo pecuniam, quam non accepit, sibi numeratam factam est, ad solutionem ejus, quod literis expressum est, non quidem Naturaliter, cum nihil acceperit: sed Civiliter sive ex literis & Jure Civili saltem intra biennium obligatur, v. Multum, Inst. de Litt. oblig. Civiliter tantum: quò modo indebitum vocatur, quod praestandi obligatio ex Naturali, non etiam Civili iure datur: ut, quod debetur ex pacto nudò, cum id praestandi non detur obligatio, quae Actionem Civilem producat, l. Juramentum 7. §. 4. ff. de Pactu.

Horum modorum primò & secundò, sive Naturaliter & Civiliter simul, vel solum